



Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dubium I. Undè dicatur alteratio, & quotupliciter sumatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

xviii. Dices terminus ad quem nutritionis debet realiter distinguì à nutritione, ergo terminus ad quem nutritionis non est nutritio ut unio.

xix. Respondeo distinguendo antecedens; terminus ad quem nutritionis in compositis purè materialibus debet distinguì realiter à nutritione, concedo antecedens: in homine, nego antecedens; Ratio disparitatis sumitur ex dictis lib. 1^o. *Physic.* Disput. 6^a. Dub. 3^o. ubi ostendimus generationem hominis non habere terminum substantialem productum realiter à se distinctum, & idem dicendum de nutritione hominis; quæ est adgeneratio hominis; generationem verò compositorum purè materialium habere terminum substantialem productum realiter à se distinctum, v.g. formam, & idem dicendum de nutritione eorum, quia etiam est aggeneratio eorum.

D V B I V M I I I.

Quid sit Decretio propriè dicta.

R E S O L U T I O.

xx. **D**ico decretio propriè dicta, sive viventis, Est motus ab anima factus per quem vivens

secundum partes, saltem aliquas notabiliores cum certa proportionem majorem acquirit quantitatem, illa, quæ est per calorem naturalem assumpta. Hæc definitio patet ex opposito definitionis accretionis.

xxi. Adde tamen dictum motum esse duplicem; unum privativum, ut dum calor naturalis aliquid hominis absument, secundum aliquas saltem ipsius partes certâ cum proportionem: alterum positivum, ut cum beneficio nutritionis non tantum substantiæ restituatur, quantum calore naturali absumptum est.

D V B I V M I V.

An accretio, & per consequens nutritio, fiat continuè, successivè.

xxii. **R**esolutionem hujus dubii quamquam hic dari solitam, commodius dabimus Disputatione sequenti de Alteratione, quia à Resolutione alia, an alteratio fiat continuè successivè, multum pender, & de utraque videtur eodem modo Philosophandum. Quare, sit

DISPUTATIO SEXTA

De Alteratione.

D V B I V M I.

Unde dicatur alteratio, & quotupliciter sumatur.

R E S O L U T I O I.

i. **D**ico 1^o, alteratio juxta, nominis etymologiam, ab alterando dicitur; sive ab eo, quod per ipsam res fiat altera, vel, ut vertit Boëtius, *alterata*; sicut enim juxta Porphyrium *Isagog.* cap. 4^o. differentia essentialis faciunt aliud, ita accidentales faciunt alterum sive alteratum.

R E S O L U T I O I I.

ii. **D**ico 2^o, alteratio variè sumitur, 1^o latissimè pro mutatione subjecti per quodvis accidentis. 2^o strictius pro mutatione subjecti per quantumque qualitatem, sive materialem, sive spiritualementem, sive habeat contrarium, sive non. 3^o strictissimè (quomodo communiter accipitur) pro motu ad qualitatem corruptivam in ordine ad generationem, puta ex intentione alterantis, & entitate sua materiali, sive non acceptâ præcisè ut alterativa; per qualitatem corruptivam, id est, habentem contrarium, excludere perfectivas, id est, non habentes contrarium, ut lumen; item generationem substantialem, nutritionem & accretionem; include verò contrarias, ut calorem & frigus; & medias, ut calorem & humiditatem: per ly *in ordine* ad generationem (quod additur ex mente Aristotelis) excludere qualitates corruptivas internas, ut amorem & odium, assensum & dissensum; quia generationi non subferuntur, ut patet. Ex his

iii. Collige terminum à quo & ad quem alterationis strictissimè sumptæ debere esse positivum,

fecus in generatione, in qua posse esse privativum constat ex dictis supra Disput. 1^a.

D V B I V M I I.

An si generatio esset impossibilis, etiam impossibilis esset alteratio.

R E S O L U T I O.

iv. **D**ico si generatio esset impossibilis, alteratio esset naturaliter impossibilis ex parte causæ alterantis; non verò ex conceptu formalis alterationis; ac proinde foret uno sensu naturaliter impossibilis; alio verò naturaliter possibilis.

v. Probant plures Recentiores primam partem; quia alteratio, (de qua hic,) est inter qualitates contrarias corruptivas; ac proinde naturaliter tendentes ad corruptionem, & consequenter ad generationem. Verum

vi. Respondeo negando secundam consequentiam; nam si impossibiles essent generationes substantiales, non minùs calor, v.g. tenderet ad corruptionem ipsius formæ aquæ concomitanter, quàm jam, quia per hoc non mutaret naturam suam, eò quod ex conceptu formali alterationis non dicat esse dispositionem ad generationem formæ ignis; licet ex entitate suâ naturali talis sit. Quare aliter

vii. Probatur prima Pars; quia ideo agens naturale agit alterando, ut producat effectum suæ activitati proportionatum; sed si generatio esset impossibilis, non posset illum producere; ac proinde cessaret finis propter quem naturaliter operatur; ergo non ageret alterando naturaliter; ac proinde alteratio ex illo capite esset naturaliter impossibilis.

viii. Addunt nonnulli, quod ex entitate sua fit apta, disponere ad generationem, quæ aptitudo est illi